



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Cassianus Ep. Et Mart. 13. Augusti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

fuit, antequàm fuit. Ex Surio.

*Sanguine Agni servatur domus à percussione Angeli:
& aqua maris rubri extinguuntur inimici, qua sunt
mysteria Ecclesie Christi.* Hieron. super Luc.

S. CASSIANUS EP. ET MART.

13. Augusti.

Pulchrius longè CASSIANVS post Pontifica-
tum, quem apud Brixentas gesserat, quàm post
Regnum olim Dionysius, ludum in foro Cornelii
exul aperuit, non ignarus has demum illas esse
rasas tabulas, è quibus nec senectus mores expun-
gat, quos olim infantia inscripsit. Sed heu quoties
juventus indignum tuis Doctoribus Minerval in-
grata persolvis? Rapitur ecce ad iudices CASSIA-
NVS, & impietatis in Deos damnatus pueris tra-
ditur excarnificandus. Nulla mora. Convolarit
velut ad ferias literarias pessimè feriat, & ad pœ-
nas magistrum nudum discipuli vocant. Pars ta-
bulas capiti illidunt franguntque, pars graphiis,
nunc punctim, nunc verso stylo cæsim invadunt,
vulnera identidem convitiis interpolantes. Alii
nunc demum sibi literatum videri præceptorem
clamare; alii rogare, num rubrica hæc placeret?
num amplius fatis latusque stylus esset? satne acu-
tum foret epigramma, quod exararent? Alii de-
nique hortari se mutuo, ne otiosi essent; hoc
præceptoris semper unicum præceptum fuisse,
nunquam stylum ponere, semper aliquid scripti-
tare. Et fortè unus è turbâ aliquis: ingrati non
erimus CASSIANE magister, multas fateor tibi de-
bemus, sed, hem! quas accepimus omnes reddi-
mus, & cum fœnore, plagas. Quærebat interea
per mille vulnera exitum ingens anima, nec re-
periebat,

R S

periebat,

periebat, usque dum omnia in unum confusa victrici in cælum viam fecerunt. *Ex Prudent.*

Spem tuam omni horâ in Deo pone, & quidquid tibi accesserit, sive bonum sive malum, ex toto corde semper dic, Deus in adiutorium meum intende. Si vis salvus esse, versiculus iste de corde tuo non recedat: cum ipso dormi, & cum ipso vigila. S. Aug. serm. i. de Jejun.

S. RADEGUNDIS. REGINA.

13. Augusti.

SAlve nitidissimum coronæ Gallicæ liliū, salve RADEGUNDIS! & tu Mariane, eia mecum odoribus pascere; quibus cælum gaudet. Superi! Regis filia, & Regi nupta ecce mendicabilis famulatur, opobalsama ducit pædorem & nauteam: exesa scabie capita & quas lingua nominare fugit ultimas sordes dignas gemmas putat, quas regiâ manu tractet. Inter delicias esurit, inter falerna sitit: purpuram pulchrè cilicio suffulcit: superbit tergemino torque, sed ferreo, sed carni nudæ jam innato potius quàm illigato, quid? Anne regnum etiam calcat generosa? ecce aulam Asceterio, Clotarii lectum Christi thalamo permutat. Quid amplius a feminâ sperem? & tamen nescio quid amplius amor ingeniosus meditatur. En flammæ hic subdit, manum armat, æneam candentemque plus à suis quàm alienis ignibus Christi effigiem corpori inurit, dum cordi cupit. Falleris ô RADEGUNDIS si animo insculptum necdum credis. inde prototypon manus sunt mutuatae. Nimirum hæc cælo vim faciunt. Adest Deus amatus & amanti etiam ipse vultum indutus blanditiis amantem demulcet, & coronæ suæ pulcherrimum eam unionem appellat. Sed & paranympsi Angeli sponsæ